

Gen. 19. 8. *Ingressi sunt sub umbram tigni mei, id est, tabulati ex tigno facti.*

Gen. 23. *Petit Abraham, ut Ephron sibi vendat speluncam pleno argento, id est, justâ pecuniâ.*

Abac. 3. v. 7. *Trepidabunt pelles terra Madian, id est, tabernacula ex pellibus facta.*

Psal. 18. 51. *Faciens misericordiam semini David usque in sempiternum, id est, posteris ex semine Davidis oriundis.*

Psal. 37. 25. *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem, id est, posteros.*

Ibid. v. 28. *Semen impiorum peribit.*

Psal. 45. 10. *Astitit in regina à dextris tuis in auro Ophir, id est, in auratis vestibus & ornamentis aureis.*

Psal. 68. 31. *Increpa feram arundinis conculcantem propter beneplacitum argenti, id est, pecunia.*

Psal. 115. 4. *Idola eorum sunt argentum & aurum, id est, ex auro & argento fabrefacta.*

Psal. 105. 37. *Eduxit eos cum argento & auro.*

Matth. 10. v. 19. *Non habebitis aurum neq; argentum in zonis vestris.*

Cicer. Verr. 6. *Cùm essent triclinia strata argentumque expositum in adibus, id est, argentea suppellex.*

Plautus in Amphytruone. *Vulcanum in cornu gerit, Cornu sumitur pro laterna cornea. Vulcanus per Metonym. causa efficien. pro igne seu candela.*

Virg. Æneid. 4. *Quin morere ut merita es, ferroque averte dolorem, id est, gladio.*

*Labitur uncta vadis abies, i. e. navis ex abietib. fabrefacta.*

Eclog. 1. *Sylvestrem tenui Musam meditaris avena, id est, fistula ex avena culmo facta.*

Ibid. *Ludere qua vellem calamo permisit agresti, id est, fistula ex calamo.*

*Nonnunquam gravis ære domum mihi dextra redibat, pro area moneta & per Synecdoch. speciei pro omni pecunia.*

Ibidem. *Frigus captabis opacum, id est, quod fit ex opaco loco.*